

Byzantinorum grammaticorum recentiorum doctrina male sedula, in exemplis maxime recensiois illius trium fabularum Promethei Persarum Septem. Facere tamen non potui quin adderem paucula illa scholia, quae e suis ut videtur exemplis enotaverat Victorius ad Agamemnonis fabulae partes eas, quibus nunc caret foliorum aliquot iacturam passus liber archetypus Laurentianus.

Ordinem fabularum, quoniam is qui est in codice servari non potuit, mutavi ita, ut primo loco collocarentur, de quarum temporibus certa memoria traditum est, subicerentur reliquae duae, Supplices et, cuius singularem esse prorsus causam satis constat, Prometheus. In contextu verborum corruptissimo quae certa ratione emendata sunt vel emendari posse videbantur correxi cautione adhibita ea quam in hoc genere prorsus necessariam iudico; neque tamen dubitavi iterare canticorum ephymnia a librariis omissa et a recentioribus plerumque neglecta, ne artis Aeschyleae in componendis canticis ratio singularis quaedam et propria abdita diutius lateret neve ignorata inveteratos recentiorum errores usque propagaret. In adnotatione indicavi hiatus orationis et versus aliquot aut aperte spurios aut suspectos, omissa tamen quaestione de interpolationibus illis gravioribus et latius patentibus, quibus e retractione ut videtur quarundam fabularum verba poetae temerata sunt, quoniam haec a consilio huius editionis aliena et altioris indaginis esse visa sunt. Addidi praeterea coniecturarum quas vocare solemus probabilium delectum; in quo delectu instituendo si parcior fuisse iudicabor, a sciente et volente peccatum fateor, si pravo iudicio usus esse laudando improbabilia, probabilia tacendo, venia petenda est. Denique sicubi pro meis venditavi, quae aliorum sunt, factum id esse nesciente me et invito credatur velim adfirmanti et si fieri possit ignoscatur.